

**[Ir]** Praeclarissimi theologi Michaelis <Aiguani de> de Bononia Carmelitae: Quaestiones disputatae in quattuor libros Sententiarum.

**[II r]** Quaestio Prohemii

**[II ra]** Quaestio prohemialis celeberrimi theologi Michaelis Bononiensis Carmelitae foeliciter incipit.

Nostrorum antiquorum patrum volens sequi vestigia iuxta materiam aliquam in collectione tactam circa primum librum sententiarum tale primo quaero dubium scilicet utrum rationalis viatoris anima peccato proprio privata sancto spiritu gratia possit de peccato satisfacere condigna Deo penitentia. Arguitur quod sic, quia talis anima possit pro peccato suo tantum bonum facere quantum malum fuit peccatum suum. Igitur patet consequentia. Sed antecedens probatur auctoritate venerabili Anselmi De casu diaboli, capitulo 8. Dicit quod voluntas mala non est magis mala quam voluntas bona sit bona, et voluntas quae vult rapere non est peior quam illa quae vult misericorditer dare sic bona. Tunc sic anima existens in peccato mortali potest misericorditer velle dare, quia scilicet ex quadam pietate naturali igitur tantum bonum facere quantum velle rapere est malum, sed velle rapere est peccatum mortale, igitur etc.

Ad oppositum sic. Talis anima non poterit pro peccato aliquod tantum bonum quantum peccatum fuit malum alias Deo indebitum redere igitur nec satisfacere. Patet consequentia quia satisfactio est aequivalentis boni alias indebiti reductio, et antecedens patet quia quodcumque bonum potest facere anima post peccatum iam illud ante peccatum erat Deo debitum ratione conversationis et causationis.

Respondeo. Iuxta tres terminos positos mihi principaliores ponam tres articulos. Termini sunt peccatum privatio et satisfactio. Quilibet articulus habebit tres conclusiones et quaelibet conclusio tria correlaria.

Primus articulus est de peccatis viatoris et sceleribus. Secundus articulus est de carentiis bonorum et privationibus. Tertius articulus est de poenitentiis peccatorum et satisfactionibus.

Quantum ad primum articulum fit hec prima conclusio. Et si nullus viator invite mortaliter valleat deficere, stat tamen quod nullus est gradus possibilis mortalis peccati vel malitiae quam voluntas viatoris libere propter se valeat appetere. Prima pars probatur quia in quodlibet peccatum mortale voluntati peccantis est ad penam imputabile. Igitur patet consequentia per venerabilem Anselmum *De concordantia*, c. 12. Dicit nullo modo esset cur deus bonis vel malis meritis tribueret nisi per liberum arbitrium bonum vel malum facerent. Et Antecedens patet per magistrum, libro 2, distinctione 42. Et confirmatur quia cum quilibet viator obligatur ad non mortaliter deficere si quis invite mortaliter posset deficere tunc obligaretur ad impossibile contra testum canonis de regulis iuris libro 6. Ista pars conclusionis est de mente canonis x.y.q.f.c.i. et sunt verba beati Augustini <qui> dicit peccatum adeo malum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum nisi sit voluntarium. et hoc adeo manifestum est ut huius sententiae nulla doctorum paucitas nullaque indoctorum turba discentiat hoc idem sententialiter habetur 15 q. id est non est et allegatur a magistro libro 2 distinctione 41.

Secunda vero pars conclusionis probatur quia nullus potest velle propter se unum sit miser. Igitur nec aliquem gradum peccati mortalis vel malitiae. Consequentia patet quia quodlibet gradu quis miser efficit ut ait magister libro 4 distinctione penultima et antecedens est venerabili Anselmi *De casu diaboli*, capitulo 23.

Et confirmatur per Damascenum libro 2, capitulo 23; dicit: nemo intendens ad malum operatur sed omnis peccans peccat ratione alicuius estimati boni quod per peccatum intendet asequi ut quis mentitur ut per mendacium acquirat alicuius gratiam vel pecuniam vel ut vitam salvet etc. Ista conclusio est de mente canonis 15 quaestio 1 merito et sunt verba Augustini in libro *Questionum Numeri*, quaestione 24. Dicit: omnes quippe homines qui scienter faciunt quod non licet velle licere facere usque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum sed propter illud quod ex eo consequitur.

Ex ista conclusione infero tria correlaria.

Primum quod in quolibet mortaliter deficere viator actualiter deficiens delectatur libere. Probatur quia quodlibet mortaliter deficere a voluntate deficientis est volitum et sibi placitum. igitur in quolibet tali habet aliquam delectionem patet consequentia quia quia secundum Aristotelem 3 *Ethicorum* complacentia voluntatis defectio est quaedam delectatio vel saltem delectationi inseparabiliter connexa. Antecedens autem patet ex prima parte conclusionis quia nullus potest in vite mortaliter deficere.

Secundum correlarium est quod non quodlibet a viatore et iuste tantum appetibile quantum illud sibi bonum potest esse delectabile probatur quia mortaliter deficere peccanti potest esse bonum delectabile. Patet quia in quolibet tali habet aliquam delectationem, ut patet ex precedenti correlario. Sed nulli est dubium quod nullum mortaliter deficere potest ab aliquo esse iuste appetibile igitur et cetera.

Tertium correlarium est quod viator temptatus ad mortaliter deficere cuilibet tali temptationi potest libere cuilibet tali temptationi potest libere resistere probatur quia cum consentire temptationi de peccato mortali eo ipso sit mortaliter deficere. si quos in vitate posset temptationi tali consentire et sibi non resistere tunc posset talis in vite mortaliter deficere contra primam conclusionem.

Secunda conclusio est. Et si nullus viator in mense valeat mortaliter deficere stat tamen quos nullus est possibilis gradus peccati mortalis vel malicie ultra quam libere non valeat deficere.

Prima pars probatur quia si quis in mense mortaliter posset deficere tunc quis immense malus posset existere consequentia nota. Sed consequens est falsum quod deduco sic quia si quis immense malus posset existere pono quod sor sit ille qui nunc de facto est in mense malus. Volo quod sor tunc committat unum furtum vel adulterium et quaero aut sor nunc est aequae malus ut prius aut magis aut minus. non potest dici quod minus vel aequae quia tunc sequeretur quod peccato novo quis noviter non deformaretur quod contradictionem implicat. Si autem magis igitur prius non erat in mense malus cum immenso non potest esse maius.

Et confirmatur. Quia nullus viator existens in gratia potest immense bene agere, igitur nec sine gratia potest immense mortaliter deficere. Patet consequentia quia non minus potens est voluntas cum gratia ad bene agere quam sit sine gratia ad male facere et antecedens patet quia aliter posset existens in gratia devenire ad tantum gratiae quod in gratia amplius non posset proficere quod est contra determinationem ecclesiae inclementi de hereticis ad nostrum.

Secunda vero pars conclusionis probatur quia aliter peccator absque speciali Dei gratia immo sola propria malitia in peccabilem posset facere quod est falsum. Et patet consequentia quia peccator ex sua malitia posset aliquam talem gradum peccati acquirere quo habito iam amplius non posset deficere.

Et confirmatur quia aliter quis posset esse viator purus quid tamen non esset in statu merendi nec demerendi quod tamen repugnat viatoris statui et patet consequentia quia viator acquisito tali gradu peccati. si sit possibilis non esset in statu merendi quia in summo peccato mortali nec in statu demerendi quia parte amplius non posset et cetera.

Ista conclusio est de mente canonis volentis quod perseverantia in peccato facto per peccatum aggravat 24 quaestione scisma. de pe. distinctione prima quid est quod dicitur in **textu** et in Glossa et hoc idem ponit magister sic libro quarto distinctione 16 ex hoc arguo sic quia si talis gradus sit possibilis ponatur quod sic modo sit in illo gradu et cum fuerit in illo gradu per diem quaero aut sic est in maiori peccato quam ante aut non si sic igitur ultra gradum illum datum potest deficere si non igitur perseverantia in illo peccato illud peccatum non aggravabit contra dictos textus canonis et magistri.

Ex ista conclusione infero tria correlaria.

Primum est quod nullus viator peccator malitiae infinitae potest mortaliter deficere. Patet quia alias posset in mense mortaliter deficere quod est contra primam partem dictae conclusionis.

Secundum correlarium est quod nullum peccatum mortale malitia infinita aliquod veniale dicitur excedere. Probatur quia cum nullum **[III ra]** finitum possit aliquid finitum per excessum infinitum excedere et quodlibet peccatum mortale ut dicit prima pars conclusionis fit finitum et multo fortius quodlibet veniale sequitur propositum.

Tertium correlarium quod nullus viator peccato peior potest esse quam gratia bonus valeat existere. Probatur quia nullus peccato mortali potest esse malus infinite ut dicit conclusio. Igitur correlarium verum. Patet consequentia quia quocumque gradu malitiae finito dato potest quis tantum gradum gratiae acquirere in perfectione quantum erat malus ille gradus malitiae. patet quia non potest tantum gradum gratiae acquirere quin maiorem possit acquirere ut dicit decretalis preallegata in clementinis de haereticis ad nostrum et cetera.

Tertia conclusio est: et si nullus viator eternam miseriam propter se valeat eligere stat tamen quod in quolibet gradu mortalis peccati perseverantem Deus iuste aeternam miseriam habet attingere prima pars probatur quia si quis aeternam miseriam propter se posset eligere talis per actum voluntatis in illa posset delectari sed consequens falsum et patet consequentia quia omne quod potest esse volitum potest esse placitum et in omni placito potest esse immo de facto est aliqua delectatio 3 *Ethicorum* et falsitas consequentis patet quia si quis posset in aeterna miseria per actum volitionis delectari cum illum actum posset magis ac magis delectari et per consequens in sua potestate esset de misero se facere non miserum quod est falsum.

Et confirmatur per Augustin *Enchiridion* capitulo 12 et allegatur a Magistro libro distinctione 7 et 25 distinctione non enim culpanda est voluntas qua sic beati esse volumus qua miseri esse non solum non volumus. Sed nequaquam prorsus velle possumus et cetera.

Secunda vero pars conclusionis probatur quia quilibet perseverans in aliquo gradu mortalis peccati vel malitiae sine fine erit in peccato igitur et a Deo iuste sine fine punietur et hoc notabat salvator *Mattheo*, 25, di ibunt hii in supli- **[III rb]** cium aeternum et cetera.

Istam conclusionem difusse probat Gregorius 34 *Moralium* contra origenistas exponens illud Job extimabit abissu quasi scenscentem et cetera ista conclusio est de mente magistri libro 2 distinctione 44 et cetera.

Ex ista conclusione infero tria correlaria. Primum est quod Deus iuste aliquem taliter vult esse qualiter ipse non potest velle esse probatur quia DEus vult iuste quemlibet perseverantem in peccato esse in aeterna miseria ut secunda pars conclusionis dicit sed ipse non potest taliter velle esse ut dicit prima pars conclusionis igitur et cetera.

Secundum correlarium est quod non quilibet taliter esse qualiter iustum est esse tenetur velle esse probatur quia perseverantem in peccato mortali iustum esse in aeterna miseria ut dicit secunda pars conclusionis sed ipse non tenetur taliter velle quod probo quia talis non potest taliter velle esse ut dicit prima pars conclusionis igitur non tenetur taliter velle esse. Patet consequentia quia nullus obligatur ad impossibile de regulis iuris libro sexto.

Tertium correlarium est quod aliquis taliter esse qualiter iniustum est non esse tenetur velle esse probatur quia in mortali peccato perseverantem iniustum est non esse semper in poena vel miserum ut dicit secunda pars conclusionis. Sed taliter tenetur velle se non esse in poena vel in miseria ut patet ex praecedenti correlario igitur et cetera.

Secundum articulus est de carentiis bonorum et privationibus ubi similiter pono 3 conclusiones.

Prima conclusio est et si nullus boni privatio ut sic sic carenti magis mala quam boni positio habenti sit bona stat tamen quod nullus boni privatio ut sic est carenti tantum mala quantum boni positio habenti est bona.

Prima pars probatur quia si alicuius boni privatio ut sic sit carenti per se magis mala quam boni positio habenti sit bona, sequitur quod privatis aliquem aliquo certo bono et sibi reddens tantum bonum et maius sibi non satisfaceret sed noceret consequens falsum ut docet experientia sed probatur consequentia quia sit a unum bonum mihi debitum in esse sit privatio eius b si igitur b sit per se mihi maius malum quam a sit mihi bonum cum non sit magis malum indivisibiliter sequitur quod poterit dari aliquod bonum quod quidem erit mihi maius bonum quam sit a et minus bonum quam b sit mihi malum sit illud c et tunc sequitur quod auferens a me a et dans mihi c dat mihi tantum bonum et maius quantum bonum mihi fuit a quod a me astulit et tamen talis non satisfacit mihi. quod probo, quia redens mihi minus bonum quam fuerit malum quod mihi intullit non satisfacit mihi sic est in proposito, igitur.

Et confirmatur quia si non sit vera conclusio sequitur quod inferens mihi aliquod certum dampnum et malum, et cum hoc dans mihi malum in nullo mihi noceret sed proficeret. Consequens falsum et probatur consequentia quia retento dicto casu auferens a me a et dans mihi c infert mihi maius malum quam sit bonum quod mihi contullit. Patet quia infert mihi b et solam confert mihi c, sed probo quod talis mihi proficit quia dat mihi maius bonum pro minori bono patet quia dat mihi c pro a et patet ex alio quia infert mihi minus malum auferens a me maius malum patet quia danso mihi c aufert a me privationem ipsius et auferendo a me a dat mihi privationem a sed privatio c est maius malum quam privatio a sicut et ipsum c est maius bonum quam a, ut patet ex casu posito, igitur.

Secunda vero pars conclusionis probatur quia si privatio alicuius boni ut sic sit carenti per se tantum mala quantum illius boni positio habenti est bona cum non sit magis mala, ut dicit prima pars conclusionis sequitur quod cuiuslibet boni privatio esset carenti praecise tantum malum quantum boni positio habenti est bona. Consequentia nota, sed conconsequens

est falsum quod probatur, quia si sic, tunc semper aequalium bonorum privationes essent aequaliter male. Consequens falsum quod patet quia posito casu quod tu habeas mille gradus gratiae et ego unum solum certum est, quod quilibet gradus gratiae tuae est tibi ita bonus sicut meus mihi est bonus non tamen privatio unius gradus gratiae tuae est tibi tantum malum quantum malus est mihi privatio unius solius gradus quam habeo quia maius malum et dampnum infert mihi privatio illius solius gradus quam tibi faceret privatio x graduum et similiter posset argui de gloria.

Et confirmatur quia si non sequeretur quod semper in aequalium bonorum privationes essent inaequaliter male. Consequens falsum, quod probo, quia posito quod tu habeas mille gradus gratiae et ego unum solum et quod peccemus ambo aequali peccato nos ad aequalem penam obligante certum est quod licet tu plus perdas de bono quam ego tamen dictorum bonorum privationes nobis sunt aequaliter male, quia per illas privationes nobis omnino est aequaliter male igitur.

Ex ista conclusione infero tria correlaria.

Primum correlarium est quod privatio visionis beatifice dampnatis non est per se magis mala quam ipsa visio beatifica beatis sit bona patet expresse ex prima parte conclusionis.

Secundum correlarium est quod privatio visionis beatifice dampnatis non est per se tantum mala quantum visio beatifica beatis est bona. Patet modo cum simili ex secunda parte conclusionis.

Tertium est quod in casu peior et fugibilior privatio minus bonum privat quam faciat minus fugibilis **[IVra]** et minus mala. Probatur quia si quis existat in magna gratia et pecces mortaliter parvo peccato ista deformitas et privatio quae est parvum peccatum maius bonum privat quam faciat privatio et deformitas magni peccati postea comissa patet quia secunda deformitas vel privatio non invenit tantum bonum quantum fuit bonum privatum per primam et cetera.

Secunda conclusio est. Et si nullus boni privatio ut sic sit carenti per se malum stat tamen quod nullius boni privatio ut sic dicitur carenti per se bonum.

Prima pars probatur quia privatio cuiuslibet boni statim extrinseci potest alicui advenire nulla mutatione facta in ipso igitur patet consequentia quia per adventum cuiuscumque per se mali mutatur subiectum cui tale malum advenit quia efficitur malus tali malitia qua antea non erat malus. Sed probatur antecedens quia bonum extrinsecum quo quis caret quod sibi non est in esse debitum manente tali carentia potest fieri sibi inesse debitum nulla mutatione facta in ipso quo facto nulla mutatione facta in ipso erit illo bono privatus quo ante non erat privatus cum privatio fit carentia boni debiti in esse igitur.

Et confirmatur quia privatio cuiuslibet talis boni potest deperdi nulla mutatione facta in deperdente igitur consequentia nota ut prius sed probatur antecedens, quia tale bonum quo quis caret quod est sibi debitum in esse potest sibi fieri non debitum in esse nulla mutatione facta in ipso quo facto tunc non erit privatus illo bono et tamen ante erat privatus illo bono igitur.

Secunda vero pars conclusionis probatur quia si privatio ut sic foret per se bonum tunc amittens talem privationem ceteris paribus haberet minus de bono quam **[IVrb]** ante consequens falsum quia cum non sit maior ratio de privatione unius boni ut sic quam alterius sequeretur quod si deus auferet privationem suae visionis a dampnatus quod ipsi haberent minus de bono quam modo habeant, quod est falsum et patet consequentia prima de se.

Et confirmatur quia aliter deus beatis dans privationem suae visionis eis aufert aliquod per se bonum quod nullus catholicus diceret.

Ex ista conclusione infero tria correlaria.

Primum correlarium est quod nulla pura obmissio in quantum est pura privatio dicitur esse mortaliter et per se malum patet quia nulla privatio ut sic est per se malum ut dicit prima pars conclusionis et sic sequitur quod nullius precepti obmissio ut est pura privatio est mortaliter nec per se malum.

Secundum correlarium est quod nulla obmissio ut est pura privatio est meritoria vel per se bona patet ex secunda parte conclusionis in quantum est privatio est per se bona vel meritoria.

Tertium correlarium est quod nullius boni honesti vel utilis privatio ut sic dicitur esse per se mala patet ex prima parte conclusionis et sic privati fide, spe et caritate et universaliter omni alio bono in quantum est privatio non est per se malum.

Tertia conclusio est et si privatio mortaliter culpabilis scilicet peccatum mortale non sit magis mala quam aliqua res causata a Deo fit bona stat tamen quod ipsa est magis fugibilis quam aliqua res a Deo creata sit eligenda.

Prima pars probatur quia quilibet actus caritatis est ita bonus vel melior sicut aliquod peccatum est malum igitur patet consequentia quia talis actus est quaedam res creata. Sed probatur antecedens, quia aliter committens aliquod mortale peccatum puta a et resurgens ab illo per actum caritatis puta b non esset ita bonus per b sicut fuit malus per a quod est falsum quia tunc non perfecte a tali malitia per actum caritatis resurrexisset.

Et confirmatur quia Deus plus diligit [IVva] actum caritatis quam odiat mortale peccatum igitur actum est melior quam peccatum sit malum patet consequentia quia cum Deus diligat et odiat secundum rectum dictamen rationis illud quod est magis diligendum magis diligit et illud quod magis odiendum magis odit. res autem quanto melior tanto diligibilior et malum quantum peius tanto magis odibile igitur bene sequitur quod si deus magis diligit actum caritatis quam odiat peccatum quod actus caritatis est melior quam peccatum sit malum. Sed probatur antecedens sic. Deus plus diligit actum caritatis quam diligat naturam peccatricem quam odiat peccatum. Igitur plus diligit actum caritatis quam odiat peccatum. Sed quod plus diligat naturam peccatricem quam odiat peccatum probo, quia magis diligit talem naturam esse, quam diligat peccatum non esse et magis odit peccatum esse cum propter dilectionem naturae peccatricis magis velit ipsam esse cum permissione peccati quam velit non esse peccatum cum destructione naturae.

Secunda vero pars probatur quia aliter aliquod peccatum esset faciendum vel eligendum propter aliquod bonum inde speratum contra apostolum *Ad Rom. 9*, dicit non sunt facienda mala ut inde eveniant bona etiam quia tunc in casu peccare quod implicat.

Et confirmatur per Venerabilem Anselmum primo *Cur Deus homo* capitulo 21 dicit quod omni eo quod Deus non est minimum aspectum contra dicit voluntatem facere non licet.

Ex ista conclusione infero tria correlaria primum. Quod totalis poena dampnatorum est peior praecise fuit malum probatur quia illa totalis poena includit tantum malum quantum malum fuit illud peccatum et plus igitur patet consequentia sed probatur antecedens quia illa poena includit obstinationem in illo pec- [IVvb] cato propter quod sunt dampnati quae quidem obstinatio est tantum malum vel plures quantum fuit peccatum illud et ultra hoc includit aliud malum scilicet poenam sensul et malum poene dampni, igitur.

Secundum correlarium est quod viator post peccatum faciens maius bonum quam suum peccatum fieri malum non semper satisfacit ad condignum pater quia cum omnis actus caritatis sit maius bonum quam peccatum fieri malum ut dicit probatio primae partis conclusionis sequeretur quod omnis actus caritatis post peccatum factus esset sufficiens satisfactio pro peccato et sic nullus post unum actum eritorum cum sufficienter satisfacisset pro peccato deberet amplius pro ipso puniri et sic post primum actum contritionis qui est actus caritatis nulla poenitentia peccatori esset imponenda et etiam poena purgatorii esset frustra quae omnia sunt falsa igitur.

Tertium correlarium est quod minus malum in casu est magis fugiendum quam maius bonum sit eligendum patet quia licet peccatum sit minus malum quam actus caritatis sit bonum ut dicit probatio primae partis conclusionis ipsum tamen peccatum est magis fugiendum quam aliquod creatum fit eligendum ut dicit secunda pars conclusionis igitur.

Tertius articulus est de poenitentis et satisfactionibus ubi forma consimili poenam tres conclusiones.

Prima conclusio est et si cesante actu et voluntate peccati, peccatum quod remanet in anima non sit formaliter debite iustitiae carentia. Stat tamen quod ad ipsum remittendum requiritur aliqua poenitentia voluntaria. Prima pars probatur quia tale peccatum non est formaliter carentia habitualis iustitiae in esse debite nec actualis igitur. Patet consequentia cum nulla alia sit debita iustitia sed antecedens probatur et primo de iustitia habituali in esse debita quia si tale peccatum sit talis iustitiae carentia tunc omnia peccata essent paria etiam aequaliter esset peccator qui committeret solam fornicationem simplicem sicut **[Vra]** qui commississet X milia adulteria consequens falsum et patet consequentia quia in quodlibet illorum est aequalis carentia habitualis iustitiae debite cum quilibet ipsorum sit privatus totali iustitia habituali debita quod patet quia aequaliter parvum peccatum mortale sicut magnum et unum sicut mille totam iustitiam habitualem scilicet caritatem privat.

Et confirmatur quia aliter in uno mortali peccato existens non posset peccare novo mortali peccato consequens falsum et patet consequentia quia cum talis nullam habeat iustitiam habitualement vel caritatem nullam potest habere novam carentiam iustitiae habitualis in esse debite nec per consequens peccatum novum cum per se tale peccatum sit formaliter carentia. talis iustitiae habitualis debiter.

Secundo probo quod tale peccatum non sit formaliter carentia actualis iustitiae in esse debite quia talis actualis iustitiae debite carentia non manet cesate actu et voluntate peccati igitur patet consequentia sed probatur antecedens quia sicut actus peccati est immediatum subiectum illius actualis iustitiae cum actualis iustitia non sit aliud quam actus rectitudo sic oportet quod sit immediatum subiectum carentiae talis iustitiae cum habitus et privatio habeant fieri circa idem et etiam quia talis carentia actualis iustitiae in esse debite non est aliud quam actus curvitas.

Secunda vero pars conclusionis probatur scilicet quod ad talis peccati remissionem requiritur aliqua voluntaria poenitentia quia nemo potest novam vitam inchoare nisi ipsum poeniteat veteris ut habetur de p. distinctione prima tres sunt. Et ideo neminem putes a quocunque peccato sive magno sive parvo ad correctionem sine poenitentia posse pertransire ut habetur de p. d. i. nemine et idem sententialiter habetur ca non sufficit et quod per totam illa primam distinctionem.

Ex ista conclusione infero tria correlaria primum quod tale peccatum in anima non est formaliter alicuius actus actualis deformitas vel malitia probatur quia omnis actus actualis deformitasvel malitia est aliqua actualis iniustitia et omnis actus actualis iniustitia est aliqua actus actualis iustitiae debite carentia et tale peccatum non **[Vrb]** est formaliter talis carentia ex conclusione et eius probatione et cetera.

Secundum correlarium est quod tale peccatum in anima non est formaliter alicuius virtutis vel gratiae praehabita carentia probatur quia cum quodlibet mortale peccatum aequaliter privet quamlibet virtuem atque gratiam praehabitam tunc omnia peccata essent paria ut deducebatur in probatio primae partis conclusionis quod est falsum igitur.

Tertium correlarium est quod tale peccatum in anima non est formaliter nisi ipsius animae ad tantam poenam obligatio ex culpa praevia probatur quia tale peccatum non est formaliter debite iustitiae carentia ut dicit conclusio nec est aliqua ipsius anime infirmitas vel poena quia omnis talis est adeo secundum magistrum lib II d. 37 igitur est talis animae ad tantam poenam obligatio ex culpa praevia patet ista consequentia quia cessante actu et voluntate peccati nihil ex tali actu remanet in anima nisi talis carentia et miseria et poena et talis obligatio sed prima non sunt formaliter illud peccatum igitur est solum tertium etc.

Istud correlarium est de mente magistri libri distinctione 42.

Secunda conclusio est et si per peccatoris poenitentiam aliquod eius opus in mortali factum sibi imputetur ad aeternae vitae meritum stat tamen quod per eiusdem vomitum non sibi imputatur ad suplicium quodlibet sibi dimisum vicium.

Prima pars probatur quia receptio baptismi infictae accedente per subsequentem poenitentiam sibi imputatur ad aeternae vitae meritum ergo conclusio vera patet consequentia quia talis baptismu receptio est quoddam opus in mortali peccato factum sed probatur antecedens quia fictae antecedens ad baptismum sic baptismum recipit quod recedente fictione ex virtute talis praeterite receptionis sibi infunditur gratia baptismalis et dimittitur culpa originalis propter quod amplius rebaptizari non debet ut dicit magister libro quarto distinctione 42 et hoc idem habetur in canone distinctione consequente distinctione 4 capitulo tunc et ca. solet igitur.

Et confirmatur auctoritate Augustini et allegatur in canone de pe. distinctione 3 et si fictae paraso. pium est di. pium est credere et **[Vva]** hoc nostra fides expostulat ut cum Christi gratia in homine destruxerit mala preterita priora etiam remuneret bona et cum destruxit quod suum non invenit amat et diligit bonum quod in peccante plantavit et cetera.

Ista conclusio expresse est de mente Gratiani de pe. distinctione quarta eadem verba quasi et si refugientes dicit quod priora bona per peccatum mortua per subsequentem poenitentiam reviviscunt et ad meritum aeternae beatitudinis singulariter prodesse incipiunt. Et subdit ad propositu etiam illa quae peccatis fuerunt admixta et hoc probat auctoritatibus Augustini et Ieronimi, ut ibidem patet igitur. Secunda vero pars conclusionis probatur quia si peccatori quodlibet sibi prius dimissum vicium reputaretur ad suplicium per eiusdem vomitum sequeretur ceteris paribus plus peccare ille cui peccata a Deo saepius fierunt cum donata quam cadens a statu innocentiae. Consequens falsum, quia aliter peccatum Addae non posset dici gravius ceteris quod tamen vere dicitur ut ostendit magister libri 2 distinctione 43 et consequentia patet, quia posito quod innocens pecet peccato fornicationis simpliciter et alius quid commissit decem milia adulteria a quibus surrexit virtute poenitentiae pecet noviter peccato simili peccato innocentis scilicet simplici fornicatione tunc si omnia peccata prius



dimissa isti imputarentur per istum vomitum sequeretur quod illa fornicatione gravius peccaret quam ille qui a statu innocentiae caderet simplici et simili fornicatione quod fuit probandum.

Et confirmatur quia si talia peccata per poenitentiam dimissa de novo imputarentur ad supplicium per peccatoris vomitum tunc Deus bis puniret idem peccatum consequens falsum. Non autem secundo et patet consequentia quia peccata prius dimissa fuerunt iam punita et si non ad condignum per subsequentem poenitentiam. Si igitur iterum imputarentur ad supplicium tunc bis punirentur.

Ista conclusio est de mente canonis, dicit quod peccatum semel dimissum ultra non imputatur de pe. distinctione 5 pluit dominus c. auctoritas et 23 q. 5 vult ergo. Ex ista conclusione infero tria correlaria.

Primum correlarium est quod per peccatoris poenitentiam sibi ad aeternae vitae imputatur meritum quodlibet eius praecedens meritum per subsequens peccatum factum mortuum. Patet quia magis videtur hoc rationale de tali opere quod aliquando fuit meritum quam de alio quod ante numquam fuit meritum et secundum tamen imputatur ut dicit prima pars conclusionis igitur illud correlarium expresse habetur de pe. distinctione 4, eadem paragrapho et si refugientes et per magistrum libro quarto distinctione 14.

Secundum correlarium est quod peccator per suam poenitentiam semper maiorem gratiae recipit habitum quam alias ante habuerit ante commissum vicium. Probatur quia peccator per actum poenitentiae semper efficitur in maiori merito quam unquam alias ante fuerit. Igitur et in maiori gratia probatur antecedens quia per poenitentiam in ipso resurgunt omnia merita praeterita ut dicit primum correlarium et ultra aliquid eius opus quod in ipso alias non fuerat meritum per poenitentiam fit in ipso meritum ut dicit conclusio et ultra hoc habet novum meritum actus poenitentiae igitur.

Tertium correlarium est quod peccatori in actu poenitentiae semper maius aeternae vitae debetur praemium quam alii ei deberetur ante commissum vicium probatur quia in actu poenitentiae habet maius aeternae vitae meritum quam alias habuerit ante commissum vicium ut dicit praecedens correlarium. Igitur et sibi debetur maius aeternae vitae praemium.

Tertia conclusio est si in peccato mortali existens de peccato non possit condigna Deo poenitentia satisfacere. Stat tamen quod de quolibet peccato sibi adeo dimisso condignam poenam complete potest facere.

Prima pars probatur quia omnis de peccato commissio Deo satisfaciens per poenitentiam est in statu salutis et gratiae igitur consequentia nota quia nullus existens in mortali peccato est in statu salutis et gratiae et antecedens apparet quia poenitens de peccato iam non peccator sed iustus est dicendum ut habetur 32 quaestione prima quod autem.

Et confirmatur quia sine peccato mortali existens posset de peccato per poenitentiam Deo satisfacere. Sequeretur quod talis statu moriens esset in simul de numero electorum et dampnatorum et sic electus et non electus dampnatus et non dampnatus quod implicat igitur.

Ista conclusio est de mente canonis volentis, quod nullus in peccato mortali existens veram poenitentiam potest facere. de pe. distinctione 3 poenitentia et capitulo perfecta poenitentia et multis aliis capitulis immediate sequentibus.

Secunda vero pars conclusionis probatur quia peccato primus dimisso non debetur nisi poena finita intensive et extensive igitur patet consequentia quia omnem talem poenam potest

rationalis creatura complecte substinere in ista vita vel in alia et antecedens patet quia aliter peccatum illud non fuisset dimissum.

Et confirmatur quia peccatum quodlibet prius dimissum fuit finitum intensive et extensive igitur sibi solum correspondet poena finita. patet consequentia quia poena iusta culpam non debet excedere, ut habetur 15 quaestione prima si quis insaniens et de. pe. distinctione 1 mensuram.

Ex ista conclusione infero tria correlaria. primum correlarium est quod dampnati demones de nullo ipsorum peccato possunt poenitentia facere nec condignam complete facere. patet primum quia sunt in peccato mortali in quo nullus existens poenitentiam potest facere ut dicit prima pars conclusionis et probatur secunda pars correlarii quia omni peccato prius non dimisso correspondet infinita poena et hoc intensive ut patet ex tertia conclusione primi articuli sed nullus talem poenam infinitam extensive complete potest substinere cum hoc con- **[VIrb]** traditionem implicet, igitur cum daemonibus nullum ipsorum peccatum nunquam fuerit dimissum. sequitur quod quilibet ipsorum peccato correspondet infinita poena igitur correlarium verum.

Secundum correlarium est quod dampnati homines de nullo ipsorum peccato per poenitentia possunt deo satisfacere licet de aliquo possint condignam poenam complete facere. Prima pars patet, quia tales sunt in peccato mortali in quo nullus existens poenitentia potest facere, ut dicit prima pars conclusionis et secunda pars patet quia eis aliquod peccatum fuit dimissum saltem aliquibus ut puta Iude quando venit ad Christi discipulatum, et tali peccato correspondet solum poena finita igitur talem complete possunt facere, ut dicit secunda pars conclusionis igitur et cetera.

Tertium correlarium et ad quaestionem in forma propria. Responsum est quod viator peccato proprio privatus spiritu sancto gratia de nullo suo peccato potest deo condigna poenitentia satisfacere. patet quia omnis talis est in statu peccatu mortalis. Sed nullus existens in peccato mortali potest de aliquo peccato condigna deo poenitentia satisfaere ut dicit prima pars conclusionis, igitur nec aliqua peccato proprio privatus spiritus sancti gratia f. et cetera.

Ad argumentum in oppositum in principio quaestionis factum patet expresse quod dicendum per secundum correlarium tertiae conclusionis secundi articuli sperius positi. Et sic finitur istud principium. **[VIv - 1r - 1v - 2ra]**

Quaestio prima Michaelis de Bononia decimioctavi Generalis ordinis Carmelitani doctoris Parisiensis quaestiones Luculentissimae super quattuor libris Sententiarum foelicissime incipiunt.

Utrum causarum prima causa huius operis sit immediate effectiva. Et arguitur primo quod non, quia hoc opus non est in causarum prima causa. Igitur prima causarum huius operis non est imediate effectiva: probat antecedens, quia hoc opus non est causarum prima causa. Igitur non est in ipsa. Antecedens patet, quia est quaedam effectus, sed consequentia tenet. Patet per magistrum libri i. d. 8 ubi vult quid quicquid est in Deo est ipse Deus: et consequentia principalis patet, quia ipsa causarum prima causa nihil extra se imediate potest efficere: quod probatur multipliciter primo auctoritate quoniam Ioh. 1 dicitur de omni suo effectus: *quod factum est in ipso vita erat*. Item quia prima causarum causa nihil extra se cognoscit, ut Commentator ponit 12 Metaphisice commento 44. igitur non efficit. item quia si cognosceret aliquid extra se

cum notitia causetur a potentia: et est ab obiecto sequeretur quod ipsius noticia esset creata, quod autem ab obiecto causetur cognitio expresse ponit Beatum Augustinum.

Ad oppositum arguitur quia hoc opus est aliquid: et non est Deus. Igitur huius operis prima causarum causa est effectiva productiva. Antecedens patet et consequentia nota Ioh 1 *sine ipso factum est nihil*.

Pro solutione huius quaestionis pono tres conclusiones quaesitum declarantes.

Prima conclusio est quod causarum prima causa in entibus esse ab omnibus debet poni ratione necessaria. Probatur tripliciter. Primo sic. In causis essentialiter ordinatis est dare primam causa. igitur causarum prima causa est necessario ponenda. Consequentia patet, quia omnis caus est per se, aut est per accidens, et omnes causae ad invicem aut sunt essentialiter ordinate, aut accidentaliter. omnis autem causa per se praecedit causam per accidens et omnes causae et ad invicem aut sunt essentialiter ordinate aut accidentaliter. Omnis autem causa per se praecedit causam per accidens: et si est dare causam primam in essentialiter ordinatis est dare causam simpliciter primam sed probo antecedens quia cause essentialiter ordinate aut sunt finitae aut infinitae si finite igitur [2rb] tur est dare primam. si infinite. igitur omnes sunt mediae patet quia infinitum non habet primum nec ultimum: sed omnes causae mediae simul acceptae sunt causatae ab aliqua priori causa aliter universitas causarum mediarum non esset causata, quod implicat igitur.

Secundo sic est quasi confirmatio factae rationis quia si causae essentialiter ordinatae ponantur infinitae ex hoc ipso sequitur quod sit aliqua prima causa. probatur sic. Causam infinitae perfectionis in causando est omnino independens in causando et ita prima. Sed si essent infinitae essentialiter ordinatae aliqua esset virtutis infinitae in causando. igitur esse independens et prima. probatur minor quia semper causa superior in per se ordinatus est maioris perfectionis in causando quacumque inferiori igitur superior in infinitum est perfectionis infinitae. Sed ex ypothesi alia est superior in infinitum ista signata. Igitur.

Tertio sic. Accipio universitatem causarum et quaero aut omnes sunt causae sic quod ab alio causante. aut non omnes sic sunt causae ab alio causante. Primum dari non potest, quia si omnes causae essent ab alio causante tunc accipio illud a quo sunt causante et quaero aut illud est de numero omnium causarum aut non. si non igitur non primo accepta fuit tota universitas causarum quod est contra positum. Si sic, igitur idem erit causa sui ipsius id est causabit se ipsum quod omnino est impossibile. Igitur est dare aliud membrum scilicet quod non omnes causae sunt ab alio causante non possunt esse plures. sicut nec plura necesse esse. Igitur est una sola ab alio non causata et ista vocatur prima causa igitur.

Contra conclusionem istam arguitur tripliciter primo sic quia si esset aliqua prima causa aut illa esset a se aut ab alio non a se quia aut esset a se effective aut formaliter non a se effective. quia nulla res est omnino quae se ipsam gignat ut sit, ut ait Augustinus primo De Trinitate capitulo 1. Item quia tunc idem esset prius se ipso si idem a se esset effective. item quod idem simul esset et non esset quod secundum Philosophum 4 Metaphisicis textus commenti ultimi et 12 Metaphisicis textus commenti 43 movens est prius moto. Si autem sit a se formaliter solum hoc non arguit ipsa esse causam primam quia unumquodque ens est a se formaliter hoc est quia per formam suam quae est idem quod ipsum vel de esse ipsius non tamen unum quod quae ens est prima causa. Esse autem a se secun- [2va] dum circumstantiam aliarum duarum causarum scilicet materialis et finalis non est ad propositum verum tamen si esset a se solum materialiter esset de se possibile esse. Et ita non esset nisi ab alio haberet esse et non esset prima: etiam si

esset a se finaliter, tunc idem esset finis sui ipsius et sic idem tenderet in se ipsur quod videtur impossibile.

Secundo sic quia si sic: aut illa primum causa esset naturaliter agens, vel contingenter, si naturaliter cum de ratione causae purae naturalis sit habere effectum coevum nullo alio posito impedimento: sequeretur quod quaelibet eius effectus esset sibi coevus. Et sic ab ipsa nihil de novo posset fieri quod est falsum. Si autem est causa contingenter causans: cum omnis alia causa causaret in virtute illius sequeretur quod omnis causalitas in rebus esset contingenter et ita nihil esset necessarium contra Philosophum 6 Ethicorum et in multis locis priorum sequeretur etiam quod nulla esset scientia cum non sit nisi de necessariis.

Tertio sic quia si esset data primam causam ipsa esset infinite perfectionis consequens falsum. igitur patet consequentia quia causaret independentem et non in virtute alterius quod requirit infinitam perfectionem falsitatem consequentis probo quod tunc pars esset aequalis toti contra primum principium probo quod ab illis infinitis perfectionibus quae essent in illa prima causa circumscribo per intellectum tres perfectiones vel si solum ibi sit una perfectio infinita illa habet gradus infinitos. Et circumscribo tres gradus et tunc quaero de perfectionibus residuis: aut sunt finitae aut infinitae si finitae igitur et prius solum erant finitae quia aliter per additionem numeri ternari aliqua multitudo finita fieret infinita cuius oppositum suppositum est scilicet quod sunt infinitae igitur infinitae sed illae perfectiones cum illis tribus circumscriptis se habent ut totum ad se ipsas circumscriptis tribus, quia continent circumscriptis tribuisse habent ut pars respectu omnium simul sumptorum et omnes simul sunt infinitae etiam circumscriptis tribus sunt infinitae: et cum unum infinitum non sit maius alio 6 Physicorum textu commenti 60 sequitur quod pars erit aequalis toti.

Respondeo. Ad primum dico quod cum quaeritur si esset dare primam causam aut esset ex se et cetera. Dico quod si illa licet a. dicat circumstantia, causae efficientis quod tunc non est a se nec ab alio sed est tamen a nullo est et ideo divisio est insufficientis. Et si licet a dicat circumstantiam [2vb] causae formalis: dico quod est a se formaliter et quando dicitur quod est a se formaliter non arguit ipsam esse primam causam dico quod licet hoc sit verum tamen esse a se formaliter. et a nullo effective arguit ipsam esse primam quod de nulla alia causa dici potest.

Ad secundum cum dicitur quia aut ageret contingenter dico quod contingenter causat quicquid causat ad extra et quando dicitur quod tunc nihil esset necessarium et cetera. Dico quod nulla habitudo cuiuscumque alterius causae ad suum effectum est simpliciter necessaria et si appareat aliquam causam necessario agatur ut puta quod ignis necessario agat praesente stupa. Dico quod est talis necessitas secundum quid et non simpliciter.

Ad tertium concedo consequens scilicet quod prima est infinitae perfectionis et quando arguitur quod non quia tunc pars esset aequalis toti nego et ad probationem dico quod argumentum supponit et implicat unum falsum scilicet quod tres perfectiones circumscriptae per intellectum sint pars perfectionum omnium primae causae quia impossibile est quod infinitum numeraliter sit pars finitorum quoniam semper et necessario quaelibet pars infiniti est infinita secundum Commentatorem 2 physicorum textu commento 37. Similiter nec aliae perfectiones relictae cum illis tribus debent dici totum ad se ipsas circumscriptis tribus immo circumscribas quascumque volueris semper remanent infinitae ratio autem quare finitae perfectiones non possunt esse pars infiniti est quia omnis partis ad totum est aliqua proportio et habitudo finiti autem ad infinitum nulla. Si igitur illae tres perfectiones circumscriptae non sunt pars illarum omnium nec etiam reliquae relictae circumscriptis illis tribus sunt **pars** quia nullus

totius potest esse una sola pars: imo necessarium si aliquid totum habet partem: etiam habet partes ad minus duas.

Secunda conclusio est quod prima causarum causa cuiuslibet rei quod non est ipsa est effective productiva probatur tripliciter primo sic Deum velle rem estam esse et rem istam esse se habent ad invicem sicut causa et causatum ita quod illud quod est primum non est secundum et e converso sed rem istam esse non est causa istius quod Deus vult istam rem esse igitur erit e converso scilicet quod Deum velle istam rem est causa istius quod ista res est maior patet quia aliter Dei voluntas non esset causa sufficiens rei et patet minor quia aliter Dei velle esset a creatura causatum quod est falsum Et confirmatur sic: Deus produxit mundum actualiter solum volendo mundum primo esse: sed Deus **[3ra]** ita efficaciter quamlibet rem quam ipse non est utile primo esse quando ipsa primo est: sic voluit mundum primo esse quando mundus primo fuit. Igitur quaelibet rem talem producit: apparet maior quia Deum producere mundum non fuit nisi Deum velle mundum primo esse: ut habetur a magistro libro 2 distinctione 1. Minor apparet quia aliter aliqua res primo esset quam Deus vellet primo esse quod est contra magistrum libro 1, distinctione 16, et ideo si quamlibet rem primo esse vult quando res primo est ipsam actualiter producit sicut fecit mundum quia non minus efficax est Dei voluntas circa quamlibet aliam creaturam producendam quae fuerit ad mundum producendum.

Secundo arguitur sic. Sicut se habet esse secundae causae ad esse primae, sic se habet efficere primae causae sed esse secundae causae non potest esse sine esse primae causae. igitur nec efficere et cetera. maior patet ex prima conclusione et probatione eiusdem. Igitur ad efficere cuiuscumque secundae causae concurrunt efficere primae causae. igitur cuiuslibet effectu secundae causae ipsa est causa. igitur et cuiuslibet rei quae ipsa non est.

Tertio sic: cuiuslibet rei quae est creatura: prima causa est effective productiva. Sed quaelibet res quae non est prima causa est creatura. igitur maior et minor patent per magistrum libro 3 distinctione 11 dicens omnis res quae Deus non est creatura est et quae creatura non est, Deus est. Ista conclusio est expresse de mente beati Augustini 3 De Trinitate capitulo 6 ubi ait: voluntas Dei est prima causa omnium rerum atque motionum: nihil enim sit ubi non operatur quod vult omnipotentis sapientia; quae pertingit a fine usque ad finem fortiter. Et in Simbolo dicitur factorem caeli et terrae invisibilium omnium et cetera.

Ex ista conclusione sequuntur aliqua correlaria. Primum: quod quaelibet actus creatae voluntatis non solum est a voluntate create set etiam a prima causa effective.

Secundum correlarium quod nullus effectus quantumcumque parvus et finitus potest produci sine actione agentis infiniti: patet quia non sine actione Dei.

Tertium correlarium: quod loquendo de causa totali rei quod effectus quantumcumque magnus non requirit maiorem vel perfectiorem causam quam effectus alius quantumcumque parvus; patet quia quodlibet requirit infinitam causam quae Deus est.

Contra istam conclusionem arguitur primo sic. Si Deus ageret ad productionem cuiuscumque rei, aut agere finite, aut infinitae, quia tunc finita actio esse in Deo: et cum illa sit Deus: aliquid finitum esset Deus: quod est falsum: nec infinite, quia tunc quodlibet effectus requireret causam infinitam: et sic quaelibet esset infinitae difficultatis: et per consequens nullius **[3rb]** effectus productio foret maioris difficultatis quam alterius, quod est falsum.

Secundo sic: si ad quaelibet effectum secundae causae concurreret effective prima causa, sic quod ille effectus producat simul a prima causa: et a secunda, aut igitur talis effectus secundum se totum producit ab utraque dictarum causarum. Aut una ipsius pars producitur a

prima causa et alia a secunda causa, si producitur apartialiter, habetur propositum, quia ad minus ad illam partem effectus quam producit causa secunda non concurrat prima: et tamen illa pars est aliquid, et non est prima causa. Si dicatur primum, scilicet quod producitur totaliter a utraque igitur aliqua dictarum causarum superfluit. Patet consequentia, quia non plus facit una quam alia, quia totus effectus sit ab utraque, nec illa duo coniunctim faciunt plusquam unum illorum per se. igitur alterum illorum superfluit. Frustra enim sit per plura quod potest fieri per pauciora. Item quia tunc unus effectus secundum quod unum produceretur a duobus agentibus immediate quod est contra commentatorem 9 Metaphisicae, commento 31.

Tertio sic, quia prima causa concurrat ad productionem cuiuslibet effectus secundae causae, sequitur quod concurrat ad peccatum et quod peccatum facit quod est factum, ut patet per magistrum libro 2, distinctione 25, probatur consequentia auctoritate magistri qui ait libro 2, distinctione 40 quod aliquae actus sunt ita mali quod nulla intentione possunt bene fieri. Ita conclusio videtur expresse contra Glossam quae habetur *Genesi, 2, requievit Deus ab omni opere Die septima*, ubi *Glossa* requievisse dicitur Deus non operando lasus sed requievit ab omni opere, quia novam creaturam facere cessavit. Item Augustinus ad Orosium illa eadem verba exponens ait requiescere dicitur DEus a condendis novis creaturis, quia post expletionem operum sex dierum nullam deinceps condidit creaturam et addidit respondendo ad dictum Christi, Ioan 5, pater meus usque modo operatur et cetera, non novam condendo creaturam sed conditas administrando.

Respondeo ad primum quando arguitur si sic et cetera, aut igitur ageret finite, aut infinite. Dico primo quod actio Dei qua cooperatur creaturam et producit omnem creaturam non est aliud quam Dei volitio ut patet per Magistrum libro 2, distinctione prima. Modo dico quod si per li agere Dei intelligas ipsam actionem Dei. Dico quod est infinitum agere sive infinita actio, quia est idem quod ipsa Dei voluntas, quae est infinita [3va] si autem per li agere intelligas connotatum illius actionis scilicet rem acta, dico quod tale agere est finitum et limitatum, et sic concedit quod primo modo quaelibet effectus requirit causam infinitam, et secundo modo quod aliquod finitum est in Deo, i. a divino agere vel in potestate ipsius Dei, vel aliter dico quod si per li agere finite intelligas effectum finitum concedo: si non intelligas agens finitum, nego.

Ad secundum cum dicitur aut talis effectus esset secundum se totum ab utraque causa aut et cetera, dico quod talis effectus productus a prima causa vel a secunda non est totaliter a prima causa: et totus a secunda. Et quando arguitur ulterius, igitur altera illarum causarum superfluit: nego consequentiam. Ad probationem quia frustra sit per plura etc, dico quod verum est ubi aequae bene et convenienter fieri potest per pauciora sicut per plura et sic non est in proposito, quia licet Deus sufficiat per se effectum sine creatura superfluit; nego quia Deus voluit ut creaturae motus proprios haberent: quibus proficerentur cum perfectio rei sit in sua operatione. Hoc autem aequae bene fieri non posset sine actione creaturae. Ad commentatorem dico quod loquitur de agentibus non subordinatis essentialiter, et non intendentibus eundem effectum, sic non est in proposito, quia secunda causa subordinatur essentialiter primae causae. Ad tertium nego consequentiam. Ad magistrum dico quod intelligit quod aliqui actus sunt ita mali quod a creatura nullomodo possunt bene fieri; sed illi idem a Deo possunt bene fieri: et ratio est quia creatura obligatur illos actus non facere sub poena peccati mortalis. Deus autem non sic obligatur. De hac materia plenius habetur libro 2 quaestione 19. Ad Glossam dico quod sic debet intelligi quod Deus cessavit a novis generibus rerum condendis quia nullum novum

rerum genus ab illo tempore condidit, quod tunc non creverit vei in se vel materialiter vel scientialiter, et eodem modo debet intelligi dictum beati Augustini.

Tertia conclusio est quod causarum prima est cuiuslibet effectus immediate productiva: sic intelligendo conclusionem: quod non solum prima causa dicitur producere effectum cuiuscumque causae secundae, ex hoc quod ipsam secundam causam conservat in esse, sed etiam ex hoc quod quaelibet effectum secundae causae immediate sua actione dicitur attingere probatur tripliciter. Primo sic **[3vb]** prima causa habet certam et infallibilem noticiam omnium effectivum humanorum, et omnium aliarum causarum secundarum. Igitur antecedens patet per magistrum libro 1, distinctone 36, quia omnis scientia rerum aut est causata a rebus, aut est causa rerum, sed divina scientia non est causata a rebus cognitis, igitur illarum est causa. Secundo sic: omnis illa causa dicitur immediata causa respectu alicuius effectus, qua posita potest poni effectus, et qua non posita non potest poni: sed Deus est huiusmodi respectu cuiuslibet effectus creaturae. igitur apparet maior, quia illa proprie vocatur causa rei. minor apparet per praecedentem conclusionem, etiam quia posita prima causa omnis effectus in esse potest poni, quia sola sua voluntas est omnis rei sufficiens causa. unde Psalmista: omnia quaecumque voluit fecit et cetera etiam remota tali causa i. posito quod prima causa non velit rem vel effectum secundae causae poni in esse, talis effectus non ponitur in esse, etiam positus omnibus aliis ad hoc requisitis, quia aliter contra Dei voluntatem aliquid posset produci, quod est falsum. Patet enim hoc quia quod ignis non egerit in camino trium puerorum ad ipsos comburendum, non fuit aliud quam quod deum imediate non agere ad productionem caloris cum tamen omnia alia ad comburrendum requisita ibi fuerit praesentia.

Tertio sic. Effectus causatus non minus dependet in fieri a causa prima universali et similiter illimitata quam a causa secunda universali sed limitata, sed a causa secunda universali limitata sic dependet effectus in fieri quod ipsa immediate ad ipsum agit. Igitur maior patet, sed minor apparet, nam hominis generati homo generans est causa secunda et particularis, sed sol est causa secunda et universalis, et tamen homo generatus in fieri dependet a sole secundum Aristotelem 2 Phisicorum textu commenti 26, dicens quod sol et homo generat hominem, et 2 de generatione ait textul commenti 56 quod sol per accessum suum est causa generationis, et per recessum est causa corruptionis. Ista conclusio habetur expresse Isaiae 26, omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Item auctor de causis ait quod omnis prima causa plus influit in effectum quam secunda causa.

Contra conclusionem istam arguitur tripliciter. primo sic: prima causa agit imediate effectum cuiuslibet causae secundae. Igitur non agit mediante causa secunda. Igitur nulla est causa mediata alicuius effectus quod est falsum, quia tunc periret communis illa distinctio causarum, quod alia est mediata et alia immediata. Prima consequentia patet quia illud quod immediate et per se agit aliquam rem non **[4ra]** agit illam rem mediante alia causa, et secunda consequentia patet quia prima causa non esset tunc mediata, quia immediate ageret: nec secunda causa, quia etiam immediate attingit effectum rei.

Secundo sic. Si Deus immediate ageret effectum causae secundae, aut hoc faceret eadem actione cum causa secunda, aut alia et alia non eadem, quia non est eadem actio Dei et actio creaturae: nec alia et alia; quia tunc causa prima et secunda concurrerent ad productionem effectus: sic quod prima causa prius attingeret totum effectum: et tunc secunda nihil causabit, aut secunda prius attinget et tunc prima nihil, aut utraque simul totum effectum attinget, et

tunc altera superfluit: tunc perit ordo inter illas, quia postquam utraque agit simul, et una non agit prius alia; non erit causa quare una vocatur prima et alia secunda.

Tertio quia si sic, tunc prima causa concurreret effective ad omnem actum voluntatis. Consequentia patet, sed falsitas consequentis probatur primo quia tunc Deus concurreret ad odium Dei causandum, et cum omne quod Deus facit mediante causa secunda, se ipso possit facere, tunc Deus per se ipsum posset facere et elicere odium Dei, et sic Deus posset odire deum.

Secundo probatur falsitas consequentis sic, quia tunc voluntas in sua actione non esset libera, quia Deo coagente ad actum voluntatis cum ipsa voluntate puta ad volitionem a. aut potest voluntas non causare a. aut non potest non causare. si potest non causare. Igitur Dei actio et concursus ad actum a. non fuit sufficiens ad movendum voluntatem ad causandum a et per talem concursum voluntas non esset sufficienter determinata ad actum suum. Si autem non potest non causare a. igitur non libere causat a quod est propositum.

Item tertio probatur falsitas eiusdem consequentis sic. Si Deus concurrat ad actum voluntatis create, tunc pono duos actus voluntatis oppositos, puta a et b, et quaero aut Deus in simul coagit voluntati ad dictos duos actus, aut ad neutrum, aut solum ad alterum. Non ad utrumque, quia cum talis actio Dei sit sufficiens determinatio voluntatis ad agendum, tunc voluntas in simul posset elicere a et b. Tunc etiam quia tunc posset insimul actus oppositos elicere et contradictorios, quod implicat. Etiam nec potest dici quod ad alterum solum concurrat, quia cum voluntas non possit aliquid agere nisi Deus coagat et Deus hic non coagit nisi ad alterum puta ad a et non ad b voluntas non posset b et sic non esset libera. Igitur sequitur quod ad neutrum concurrat et sic habetur propositum.

**[4rb]** Respondeo ad primum cum dicitur quod nulla causa esset tunc mediata et periret illa communis distinctio etc. Dico quod aliqua causa potest dici mediata vel imediata tripliciter.

Uno modo dicitur causa imediata quae immediate sua actione attingit effectum, ut movens motum et per oppositum causa mediata quae non per se sed per alterius actionem attingit effectum, ut rex quae per ministrum decapitat homicidam, et isto modo Deus cuiuslibet rei est causa imediata. et etiam aliqua creatura sui effectus est causa imediata et aliqua mediata. Secundo modo dicitur causa imediata quae virtute propria ab alio sibi non infusa attingit effectum et per oppositum causa mediata quae non virtute propria sed magis ab alio sibi infusa attingit effectum. Et isto modo Deus cuiuslibet rei est causa immediata et qualibet creatura est causa mediata.

Tertio modo dicitur causa imediata quae suam virtutem qua producit effectum alteri non communicat et per oppositum causa mediata quae suam virtutem qua producit effectus alteri communicat et sic Deus alicuius rei est causa mediata et alicuius imediata et similiter aliqua creatura. Ex istis patet quod non perit illa communis distinctio causarum.

Ad secundum cum dicitur si sic. Aut prima causa concurreret eadem actione etc. Dico quod si accipiatur actio primae causae active id est per agente quod alia est actio prime causae et alia secunde. Si autem accipiatur passive id est per re creata, tunc est eadem actio et tunc quando dicitur de actione activa de qua currit argumentum aut prima causa prius attingit totum effectum etc. Dico quod simul, et quando dicitur igitur alia superfluit negatur consequentia ut patuit in responsione secundi argumenti contra secundam conclusionem precedentem et quando dicitur quod tunc non esset ratio quare una vocaretur prima et alia secunda dico quod immo quia cum hoc stat quod una illarum causarum virtutem qua produci effectum illum habet a se



et alia ab alio: et illa quae dictam virtutem habet a se vocatur prima, et illa quae habet ab alio vocatur secunda.

Ad tertium cum dicitur quod si sic, tunc prima causa concurreret effective ad omnem actum voluntatis. Concedo consequens et consequentia et quando probatur falsitas consequentis primo quia tunc Deus concurreret ad odium sui, dico quod eodem modum concurrat sicut ad actum adulterandi. Concurrat enim ad substantiam actus: non ad deformitatem, et cum infert igitur se ipso solo posset odium sui causare, concedo quod posset illam rem absoluta quae est odium Dei causare, sed non cum deformitate [4va] quae non habet causam nisi deficientem et si talem rem causaret Deus se solo, tunc illa res non diceretur odium Dei, quia careret tali deformitate a qua totaliter denominatur, sicut si Deus reciperet illam qualitatem quae est in anima Socratis quae dicitur intellectio, et ipsam poneret in lapide: tunc licet esset eadem res que primo fuit, tamen non amplius diceretur intellectio quia per illam lapidem in quo est non intelligeret. Ad aliam probationem quando dicitur quod tunc voluntas in sua actione non esset libera, nego consequentia. Ad probationem quia quo agente ad actum voluntatis prima causa aut potest voluntas non causare a et cetera dico quod potest non causare a et potest non sequi determinationem primae causae quia aliter non esset libera, et quando dicitur igitur per talem concursum non fuit voluntas sufficienter determinata ad actum suum, dico immo fuit sufficienter determinata.

Ubi sciendum quod determinatio alicuius causae ad suum effectum est duplex. Una de possibili, quando scilicet causa est ita determinata ad producendum suum effectum quod dante coactione et influenza generali primae causae, aliis impedimentis non positis, ipsa est de possibili non potest non agere illum effectum ad quem est determinata et sic per concursum Dei terminantur causae agentes naturaliter. Alia est determinatio de inesse quando scilicet causa de facto et de inesse sic determinata est ad istum effectum quod ipsum producit et cum hoc tamen stat quod non sit determinata determinatione de possibili quia posito quod istum effectum agat tamen potest non agere et hoc in sensu diviso et sic per concursum Dei ipsa voluntas est sufficienter determinata ad agendum determinatione de inesse sed non determinatione de possibili et ita sufficit ad salvandam libertatem voluntatis. Ad aliam probationem quando dicitur positus duobus actibus voluntati contrariis scilicet a et b, aut Deus coagit voluntati simul ad a et b et cetera dico quod solum ad alterum scilicet ad illum quam voluntas eligit et cum dicitur igitur voluntas cum non possit nisi in actum ad quem concurrat Deus ipsa solum poterit in istum actum et non in oppositum dico quod licet voluntas solum velit de facto istum actum ad quem concurrat Deus, tamen de facto velle potest oppositum et hoc in sensu diviso: nec tunc vellet actum ad quem non concurrat Deus, quia si vellet oppositum actum et non istum ad illum concurreret Deus, et non ad istum, quia sicut voluntas est determinata de in- [4vb] esse ad istum actum non determinatione de possibili, sic concursus Dei determinatione de inesse est determinatus ad istum actum, sed non de possibili, quia ad oppositum etiam potest coagere.

Ex praedictis tribus conclusionibus sequuntur tria correlaria ad quaestionem responsiva.

Primum quod istius operis est aliqua prima causa. Patet quia omnium rerum danda prima causa, igitur istius operis. Consequentia nota, et antecedens est prima conclusio.

Secundum quod istius operis causarum prima causa est effective productiva, patet quia cuiuslibet rei quae non est ipsa prima causa ipsa est effective productiva. Igitur consequentia nota, et antecedens est secunda conclusio.

Tertium quod ipsius operis prima causarum causa est immediate productiva. Probatur eodemmodo per tertiam conclusionem.

Ad argumentum in oppositum in principio q quando dicitur hoc opus non est in causarum prima causa. Dico quod aliquid esse in causarum prima causa multi modis intelligitur, scilicet essentialiter, et sic quicquid est in Deo id est de esse Dei est Deus. Aliomodo cognitive vel causative, et sic omnes creaturae sunt in Deo et tamen non sunt Deus, et ita istud opus est in Deo et tunc quando infertur ergo prima causarum causa huius operis non est immediate effectiva. Nego consequentia. Ad probationem cum dicitur: omnia quae a Deo facta sunt in ipso sunt. Ideo primo quod factum est in ipso et cetera dico quod verum est secundum Bedam et Augustinum causate et cognitive etc.

Utrum viator per habitum theologicum qualibet falsitatem erroneam scientifice valeat evertere. Arguitur primo quod sic. Viator per habitum theologicum potest scientifice omnes virtutes theologicas ostendere. Igitur antecedens patet, quia habitus theologicus est scientificus ut habetur ex verbis apostoli di 2 ad Corinthios 4 de se et aliis huius scientiae professoribus. Deus illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in faciem Christi Iesu sed qualibet habitus scientificus valet omnes suas veritates scientifica ostendere. et consequentia nota, quia valens scientifice probare unum oppositorum eo ipso scientifice evertit reliquum. Veritas autem theologica et falsitas quaelibet erronea opponuntur, et insimul vera esse non possunt.

Ad oppositum arguitur sic. Viator aliquam falsitatem erroneam valet scientifice ostendere, igitur viator per ha- **[5ra]** bitum theologicum quamlibet falsitatem erroneam scientifice non valet evertere, consequentia nota, quia duo opposita sicut insimul vera esse non possunt: sic nec scientifice ostendi: cum scientia solum sit de veris, primo posteriorum veritas autem theologica et falsitas erronea directe sunt opposita. Antecedens patet quia Aristoteles per scientiam naturalem conclusit scientifice 8 Phisicorum textu commenti 44 et textu c. 15 mundum fuisse ab aeterno, quod est quedam falsitas erronea ut patet Genesi 1 et libri 2 distinctione 1.

Pro solutione huius pono tres conclusiones.

Prima conclusio quia viator habitum theologicum esse simplicem per negationem compositionis materiae et formae habet ponere immo etiam ista conclusio habet poni de omni accidente probatur simpliciter primo sic si habitus theologicus et etiam quodcumquae alius accidens sit compositum in genere qualitatis ex materia et forma et forma sint componentia eius a materiale et b formale, tunc talis habitus cum sit accidens informat aliquid subiectum quero tunc autem a tantum informat illud subiectum aut b tantum aut utrumque aut neutrum non potest dici neutrum quia tunc accidens naturaliter esset et nulli inesset et sic non esset accidens sed subsistentia per se subsistens nec potest dici quod utrumque simul quia tunc formae esset forma contra Philosophum 7 Metaphisice capitulo 13 et esset processus in infinitum quia compositum ex a et b esset tunc forma illius subiecti et tamen istius formae esset forma quia b nec potest dici a tantum quia omne informans aliquod subiectul de se dicit potentiam de se et non actum quia ponitur solum principium materiale.

Item, quia nec a tantum quia si a tantum informaret subiectum puta c et non b et tamen b est in ipso c quia totum compositum ex a et b quero qualiter b est in c manente informatione ipsius c facta per a quia aut tanquam forma aut tanquam materia aut tanquam compositum non

tanquam materia quia tunc informaretur a c et sic accidens esset subiectum substantiae enc tanquam forma quia tunc non tantum a informaret c nec tanquam compositum cum per se ipsum non fuit compositum sed pars componens nec potest dici quod tantum b informaret c et non a, quia tunc sequitur quod a est aliquid et non est in subiecto sicut accidens et est capax actus et forme igitur est materia substantialis cuius oppositum supponitur scilicet quod sit materia solum accidentalis.

Secundo **[5rb]** sic omne accidens quodcumque accipiatur: loquendo de accidente rali et positivo est forma et actus quia omne tale informat et perficit substantiam sed nulla forma est composita ex materiali et formal cum forma sit simplex etc ut ait auctor sex principiorum igitur

Tertio sic quia si habitus theologicus sic esset compositus sequeretur quod habitus theologicus ut est accidens esset concretum et sic theologia non esset talis habitus sed theologizans

Sed contra omnis sciens sua scientia potest exire in actum secundum Philosophum 2 De anima textu commenti 55 et 58 sed omnis theologizans est sciens igitur omnis theologizans sua scientia potest exire in actum et sic scire. Sed cum theologizant per se sit accidens igitur accidens potest scire accipiendo hic in toto argumento scire pro cognoscere licet non scientificè sed omnis potens cognoscere potest beatificari igitur accidens potest beatificari et sic mereri et demereri quae omnia sunt absurda.

Contra conclusionem arguitur tripliciter primo sic omnis res quae ante suum esse potest esse et postquam est potest non esse habet materiam sed habitus theologicus est huiusmodi et similiter quodlibet accidens igitur minor de se nota sed maior est philosophi 7 Metaphisice textul comenti 53 ubi ait quod materia est qua res potest esse et non esse si igitur habitus theologicus et omne accidens habet materiam cum etiam habeat forma ex eo quia omne tale informat subiectum sequitur propositum.

Secundo sic. Omne illud quod realiter cum uno convenit et realiter ab alio differt est compositum ex duobus realiter distinctus aliter enim idem secundum idem realiter conveniret cum aliquo et realiter differet ab illo et sic idem respectu eiusdem esse causa convenientiae et differentiae quod implicat sed habitus theologicus est huiusmodi immo omnis species quia convenit cum aliqua in genere et realiter differt ab alia. igitur est compositus etc. sed ista talia componentia non possunt esse nisi materia et forma materia scilicet quae est causa convenientiae et forma differentiae igitur.

Tertio sic. omne per se diffinibile est compositum ex diversis essentiis sed habitus theologicus est eis specie cuiuscumquae generis est per se diffinibilis quia per se includens genus et differentia ex quibus accipitur diffiniti. Maior patet quia Philosophus 7 Metaphisice textu commenti 55 probat quo idee pla- **[5va]** tonis non erant diffinibiles eo quod erant formae simplices quia dicit ipse quod diffinitio est ratio longa habens partes exprimentes quod et quale secundum quod dicitur 8 Metaphisice capitu 3 textu commenti 9 sed minor patet scilicet quod omnis specie sit diffinibilis per Philosophum 7 Metaphisice textu commenti 37. Cum igitur habitus theologicus sit species qualitatis erit diffinibilis Igitur nec ad istam rationem valet dicere quod species accidentium solum diffiniuntur per additamenta ut ait Philosophus ibidem quia hoc non est ex hoc quod formae sint simplices sed propter dependentiam totius compositi ex propriis principiis ad substantiam in essendo. Ideo accipitur subiectum loco differentiae et propter hoc quod differentiae quarumdam specierum latent.

Respondeo. Ad primum quando dicitur quod omnis res antequam fuit etc. Dico quod illa maior sic accepta universaliter est talia quia anima rationalis antequam fuit potuit esse etc non tamen habet materiam. Ad Philosophum dicendum quando dicit quod materia est qua res potest esse et non esse quod ibidem accipit esse et non esse pro generari et corrumpi: et tunc dico ad minorem quod habitus theologicus et aliae formae accidentales propriae non generantur nec corrumpuntur sicut nec formae substantialis proprie est generatio et corruptio sed solum compositum generatur et corrumpitur ut dicit Commentator 7 Metaphisice commento 32 formam non generari nec corrumpi non est proprium substantiae sed commune praedicamento substantiae et aliis praedicamentis et sic proprie solum compositum tam ex forma substantiali et materia quam ex forma accidentali et subiecto generatur et corrumpitur et hoc ratione materiae et sic et conceditur quod habitus theologicus habet materiam non ex qua sed in qua scilicet subiectum in quo est.

Ad secundum cum dicitur omne id quod realiter cum uno convenit etc posset concedi et minor negari scilicet quod habitus theologicus realiter conveniat cum alia specie et realiter differat ab ea quia licet duae specie ut albedo et nigredo realiter se ipsis formis differant. Non tamen conveniunt realiter quia non est aliqua unitas realis specierum sub genere sed solum est unitas rationis et conceptus.

Ad tertium cum dicitur omne diffinibile est compositum ex diversis essentiis dicitur quod hoc non requiritur sed sufficit quod ibi sit compositio duorum conceptuum distinctorum ex quorum altero sumatur ratio generis et ex altero ratio differentiae qui tamen conceptuseandem rem per idemtitatem omnino [5vb] significant.

Ad Philosophum qui dixit quod idee Platonis non erant diffinibiles quia simplices dico quod ideo hoc dixit quia Plato ipsas ideas posuerat simpliciter simplices et puros actus et secundum veritatem non erant diffinibiles. Sic autem simpliciter simplicem non pono habitum theologicum et alias species accidentis quia aequaliter componuntur ex actu et potentia quia possunt esse et non esse que in ipsis intentionaliter sunt distincta quia ipsamet forma actualis est actus in quantum est et est potentia in quantum est possibilis non esse.

Secunda conclusio est ista quod viator per habitum theologicum veritates ipsius scientificae non valet concludere. probatur tripliciter. primo sic. per illum habitum non potest quis scientificae veritates ipsius concludere cuius habitus principia ipsi solum sunt credita. Sed principia habitus theologici viatori solum sunt credita. Igitur minor patet quia articuli fidei qui sunt principia dicti habitus non sunt viatori per se evidenter notis nec deducti ex aliquo prius ipsi evidenter noto. Sed maior probatur quia sicut ex antecedente contingenti non sequitur consequens necessarium cum ratio consequentis contineatur in antecedente sic ex mere credito antecedente non infertur consequens scitum. Igitur.

Secundo sic. Viator per illum habitum qui non est scientificus non valet veritates ipsius scientificae concludere sed habitus theologicus est huius. Igitur maior nota quia aliter esset contradictionis implicatio. Minor patet quia non maiorem evidentiam habet viator de principiis huius habitus quia habeat viator adherens alicui falso. Si igitur credulitas adherentis alicui falso non valet causare cognitionem scientificam sic nec credulitas fidelis adherentis vero per huiusmodi habitum patet quia tam firmiter adheret falso quis credes illus esse verum ut tartarus legi suae sic catholicus theologus veritatibus theologiae.

Tertio sic per illum habitum non valet quis illius veritates scientificae ostendere per quem ipsarum veritatum causas non valet ostendere. Sed talis est habitus theologicus. igitur maior

patet quia cognitio scientifica praesupponit causarum cognitionem primo phisicorum textu commentu primi et minor apparet quia veritates theologice nullam habent causam multe scilicet ut Deus est trinus et unus, quod est omnipotens et similia quae sunt aeterna.

Istius **[6ra]** opinionis videtur fuisse Apostolus 1 Ad Corinthios, 13, *videmus nunc per speculum in aenigmate* etc. Ex ista conclusione infertur quod viatoris habitus theologicus non est proprie scientificus.

Contra istam conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic. Viator per habitum theologicum potest habere evidentem notitiam de veritatibus theologiae. Igitur et scientificam. Consequentia nota, quia evidens notitia videtur esse scientifica et antecedens patet quia quod virgo peperit est quaedam veritas theologica de qua tamen virgo beata habuit in statu viae notitiam evidentem et certam.

Secundo sic arguitur a reverendo magistro Girardo de Bononia, nostri sacri ordinis carmelli quaestione prima prologi sue Summae. Accipiat una propositio per se nota ex naturalibus et alia fictae credita. Et fiat sillogismus ut verbi gratia omnis homo habet animam rationalem, Filius Dei est homo, igitur Filius Dei habet animam rationalem. Ista conclusio est theologica, et tamen est scientifica, quod probatur quia virtus cuiuslibet premissarum manet in conclusione. Igitur et virtus maioris propositionis. Sed maior propositio est scientifica. igitur et conclusio.

Tertio sic. Per illum habitum qui procedit ex per se notis ostendi possunt ipsius veritates scientificae. Habitus theologicus est huiusmodi. Igitur maior nota, quia omnis conclusio illata ex per se notis est scientifica. Et minor patet quia theologicus habitus quoad articulos fidei et ad alia probatur per priora per se nota quia theologica sunt posteriora hiis quae ad metaphysicum pertinent ut puta Deus quia ens, quae tamen metaphysicalia sunt per se nota istius opinionis ut Beatus Augustinus 14 De trinitate capitulo 2 ubi istum habitum vocat scientiam d non utique quicquid sciti ab homine potest in rebus humanis ut plurimum supervacue vanitatis et noxie curiositatis est huic scientiae tribuere. Sed illud tantummodo quo fides saluberrima quae ad veram beatitudinem ducit nutritur, defenditur roboratur qua scientia non pollent fideles plurimi quamvis ipsa fide polleant aliud est enim scire etc.

Respondeo. Ad primum cum dicit viator per habitum etc negatur consequentia quia non omnis cognitio evidens est scientifica. Nam cognitio primi principii est evidens non tamen scientifica quia notitia scientifica solum est de conclusionibus quia scientia est cognitio certa veri necessarii habentis evidentiam ex aliquo prius noto, et Aristoteles 1 Posteriorum textu **[6rb]** commentu 5 scientia inquit est habitus conclusionis determinatae. Dico etiam quod de articulo incarnationis virgo Maria non habuit evidentem notitiam, quia non cognovit evidenter se virginem genuisse Deum et hominem et de hoc magis invenies libri 3 quaestione 9 conclusione 2 in solutione argumentorum contra conclusionem.

Ad secundum cum dicitur fiat sillogismus ex maiori per se nota et minori credita etc. ad punctum dico quod talis conclusio non est scientifica. Ad probationem quia virtus utriusque premissae manet in conclusione dico quod in premissis est duplex virtus. prima illa communis quia habent virtutem inferendi conclusionem et sic dico quod utriusque virtus manet in conclusione quia non solum sequitur conclusio ex una sed ex utraque. Alia est virtus perfectionis et tunc dico quod virtus utriusque premissae non manet in conclusione immo semper conclusio debet assimilari premissae inferiori similiter effectus causae secundae et inferiori ut bos bovi, non solum unum si una premissarum fuerit universalis et alia particularis

conclusio erit particularis et si una sit de necessario alia de contingenti conclusio erit contingens et si una affirmativa alia negativa conclusio erit negativa ut patet primo priorum et si una ponatur nota reduplicationis et in alia non ponetur in conclusione ut patet ibidem.

Ad tertium cum dicitur quod habitus theologicus precedit ex notis per se evidenter negatur et quando probatur quia per priora probatur posteriora et illa quae pertinent ad metaphisicam sunt priora: dico quod posteriora non probatur per priora quantum ad illa quae proprie conveniunt posterioribus: nam movere visum non posset probari de colore per hoc quod est qualitas, quia tunc omnis qualitas esset motiva visus, sed bene aliquod commune predicatum potest probari de posteriori et inferiori per priora et superiora ut de colore posset probari quod secundum eum quales dicimur. Similiter in proposito per ens non potest probari quod Deus sit unus in essentia et trinus in personis, quia hoc est Deo proprium sed quod Deus sit unum verum bonum vel quod distet a non ente et alia huiusmodi communia omni enti possent probari de Deo sed tales veritates sunt potius methaphisicales quam theologicæ.

Ad beatum Augustinum dico quod ipsae non accipit scientiam proprie prout est habitus conclusionis demonstrative sed prout conclusio ex aliquo vero vel ex aliqua persuasionem deducta non tamen demonstrative.

Ex ista conclusione infero correlativum responsivum ad quaestionem scilicet quod viator per habitum theologicum non valet sci- [6va] entifice quamlibet falsitatem erroneam evertere. Probatur quia non valet per dictum habitum scientifice quaslibet veritates ipsius ostendere. Igitur antecedens est dicta conclusio: et consequentia nota. Quia sicut probatio scientifica unius contradictorii est scientifica in probatio alterius ita e converso. Igitur si scientifice sciret evertere quamlibet falsitatem erroneam sciret et scientifice ostendere quamlibet veritatem catholicam quod est oppositum dictae conclusionis.

Sed contra illud correlativum arguitur sic. Sciens scientifice solvere quamlibet rationem factam ad probandam quamlibet falsitatem erroneam scit quamlibet falsitatem coroneam diligenter evertere. Sed viator per habitum theologicum est huiusmodi. Minor nota quia fundamentum conclusionis est ipsius probatio et sic solvens et evertens rationem evertit conclusionem minor apparet quia qualibet talis ratio concludit falsum igitur aut peccat in materia, aut in forma, et quaelibet talis est evidens solubilis scientifice.

Ad istud dico quod concessa maiori minor est neganda. Ad cuius intellectum dico duo. Primum quod viator veridice potest quamlibet talem rationem solvere, quia omnis talis ratio peccat. Dico secundo quod non potest hec scientifice ut puta si ratio peccat in materia ut de Deo esse distinctum suppositum ab alio habet distinctam essentiam sed Pater in divinis habet distinctum suppositum a Filio. Igitur dico quod istam rationem veridice solvit viator theologicus. Dico quod maior est falsa, sed quod ita sit non valet scientifice ostendere et sic falsa est minor.

Tertia conclusio est quod viator per habitum theologicum ab aeterno plures non fuisse veritates habet ponere probatur tripliciter. Primo sic. Ab aeterno nulla fuit veritas nisi quae Deus est. Igitur non plures consequentia patet. Quia cum veritas in Deo sit quod absolutum non multiplicatur eo quod in absolutis non obviat relationis oppositum antecedens notum, quia omne quod est vel fuit ab aeterno Deus est et omne quod Deus non est temporaliter factum est, *Genesim, 1, in principio creavit Deus coelum et terram.*

Secundo sic. Si ab aeterno fuissent plures veritates aut ille plures essent increatae, au createae, aut partim increatae. Non primum, quia sicut solum est unum ens increatum et

aeternum, sic eorum una veritas increata cum ens et verum convertantur, nec secundum, quia tunc sequeretur quod ab aeterno fuisset aliqua res creata, quia ipsa veritas quae ponitur creata, nec tertium eadem ratione.

Tertio sic. Si ab aeterno fuissent plures veritates aut fuissent in intellectu divino, aut angelico, aut humano. Si in divino, cum veritas in intellectu divino sit quod absolutum non plurificatur. Si in angelico, igitur intellectus angelicus fuisset ab aeterno, quod est erroneum et similiter arguitur de humano et patet prima consequentia Philosophum 6 Metaphisice textu commenti 8, qui dicit quod verum et falsum, id est veritas et falsitas non sunt in rebus sed in intellectu. Omnis autem intellectus aut est divinus aut angelicus aut humanus.

Ex ista conclusione sequitur correlarium quod ista non fuit vera ab aeterno 'hoc est animal'. Patet quia ab aeterno solum fuit una veritas quae est Deus et ista non est illa etc quia sequitur ab aeterno ista fuit vera 'homo est animal'. Igitur et ista 'homo est' sed consequens est falsum et consequentia patet. Contra conclusionem istam arguitur tripliciter. Primo sic: omne id ad cuius non esse sequitur suum esse est aeternum, quia sive tale ponatur in esse sive non esse semper sequitur quod est, sed ad non esse veritatis creatae sequitur suum esse. Igitur veritas creata est aeterna, et tunc cum etiam veritas increata sit aeterna, sequitur plures veritates esse ab aeterno. Minor patet, scilicet quod ad non esse veritatis creatae sequeretur suum esse, quia si veritas creata non est verum est veritatem creatam non esse sed haec veritas, scilicet veritatem creatam non esse est quaedam veritas creata, quia aliter esset denique et simpliciter necessaria veritas et per consequens nunquam falsificari posset et sic est hodie esset verum diceret veritatem creatam non esse, quod est falsum. Et confirmatur quia veritas enuntiabile est aeterna, quia si diceretur aliquod enuntiabile non est verum eo ipso ponitur aliquod enuntiabile esse verum scilicet illud quod dicitur enuntiabile non est verum. igitur tales veritates sunt aeternae.

Secundo sic ab aeterno fuit verum hominem esse creabilem et asinum et capram et huiusmodi, sed nullum creabile est Deus, quia Deus non est creabile.

Igitur multae veritates sunt aeternae et confirmatur ratio quia ab aeterno fuit verum Patrem generare Filium et Patrem et Filium spirare Spiritum Sanctum, et istae sunt plures veritates sicut et plures emanationes. Igitur.

Tertio sic. ista fuit vera ab aeterno 'hoc est animal', 'hoc est substantia', 'hoc est ens'. Igitur consequentia nota. Probatur antecedens quia aut istae propositiones fuerunt vere ab aeterno aut suae contradictoriae. Si ipse habet propositum si suae contradictoriae tunc cum tales essent aeternae essent simpliciter necessariae et incommutabiles est quia si contradictoriae illarum propositionum fuerunt vere ab aeterno cum ille non sunt prima et increata veritas. Sequitur quae fuerunt plures veritates ab aeterno.

Respondeo ad primum cum dicitur omne illud a cuius non esse sequitur esse suum est aeternum dico quod verum est si sequitur illud esse numero quod ponitur non esse sicut ad Deum non esse sequitur Deum esse sed si sic in proposito quia ad veritatem non esse sequitur veritatem esse sed non eadem numero sed aliam scilicet quia sequitur [7ra] verum esse veritatem non esse, quae est alia veritas a prima, sicut ad hanc propositionem non esse veram, homo est sequitur hanc esse veram homo non est et tamen non sunt una veritas numero. Ad probationem quando dicitur quod non esse veritatis creatae sequitur veritatem creatam esse, dico quod non est eadem numero. Et si arguatur sic ab aeterno veritas creata non fuit. Igitur ab aeterno verum fuit veritatem creatam non esse. Dico quod verum fuit hoc ab aeterno, sed ista veritas nihil aliud

fuit quam intellectus divinus cognoscens pro tunc quod nulla creata veritas erat. Et si dicatur igitur veritatem creatam non esse aeternaliter fuit verum in intellectu divino, igitur est necessaria veritas et immutabilis. Dico quod in intellectu divino ab aeterno fuit verum veritatem creatam non esse, scilicet pro aeterno, et fuit verum in intellectu divino veritatem creatam esse pro tempore. Similiter dico quod nunc haec hec est necessaria simpliciter veritas creata non fuit pro aeterno et semper perseverabit.

Ad confirmationem dicitur eodem modo.

Ad secundum cum dicitur quod ab aeterno fuit verum hominem esse creabilem etc. Respondet magister Girardus in Summa quaestione 28 articulum 4 dicens quod quamvis creabile quantum ad vocem importet potentiam passivam prout a grammaticis dicitur quod nomina terminata in bilis significant passionem et in ius actionem, tamen interdum contingit quod talia nomina terminata in bilis non directe significant passionem maxime cum potentia activa quam conotant non requirit aliquid subiectum vel potentiam passivam in quam agant. Sic est in proposito, quia potentia creativa Dei non supponit in creatura potentiam passivam in quam agat, quai tunc non foret creatio et ideo creabile secundum rem non ponit aliquid in re nisi potentiam creantis quae fuit ab aeterno et sic concedit quod ab aeterno homo fuit creabilis id est in Deo fuit potentia creandi hominem, non tamen quod homo creabilis fuit ab aeterno id est quod aliqua res quae esset homo creabilis fuit ab aeterno. Et quando dicitur quod Deus non est creabilis, dico quod verum est si creabilis denotet aliquam rem per creationem producibilem. Ad confirmationem cum dicitur quod ab aeterno fuit verum Patrem generare Filium, dico quod ille plures emanationem non sunt plures veritates, sed solum una veritas, sicut nec plura supposita in dvinis sunt plura esse absoluta sed solum unum.

Ad tertium cum dicitur quod istae veritates 'hoc est animal', 'homo est substantia' etc fuerunt ab aeterno [7rb] dico quod sicut homo non fuit ab aeterno, ita ab aeterno hoc non fuit animal et sic de aliis. Ad probationem quando dicitur vel istae ab aeterno fuerunt vere vel suae contradictoriae, dico quod suae contradictoriae si fuissent prolatae ab aeterno fuissent vere et dico quod in intellectu divino ab aeterno ista fuit vera 'homo non est animal', quia et ista 'hoc non est' et tunc dico quod veritates in intellectu divino non sunt aliud quam ipsae Deus. Et cum dicitur quod tunc ista fuisset ab aeterno necessaria 'hoc non est animal' et nunquam potuisset verificari, dico sicut ad primum quod illa immediate Dei fuit ab aeterno vera aeterno et sic adhuc manet vera pro aeterno quod hoc ab aeterno non est animal. Et tota ratio responsionis stat in hoc quia ad veritatem propositionis cathgoricae affirmative requiritur terminorum existentia quia ad hoc quod significatum talis propositionis sit verum requiritur quod subiectum sit et quod praedicatum secus de propositionibus conditionalibus vel negativis.

Ad argumentum principale in principio q cum dicitur viator per habitum theologicum potest omnes veritates huius scientiae ostendere negatur. Ad probationem dico quod istae habitus non est scientificus. Ad Apostolum dico quod ipse accipit scientiam non proprie pro habitu conclusionis demonstratae, sed pro habitu conclusionis deductae ex aliquo vero vel persuabili non tamen demonstrative.

Ad argumentum in oppositum negatur antecedens et ad probationem dicitur quod Aristoteles non demonstravit mundum fuisse ab aeterno, licet bene crediderit demonstrare de hoc aliis etc.